

(**) XXIII. Diuturnus hic Reservationis usus plures Hispanæ Gentis exci-
tavit querimonias, quibus in Comitibus anni 1630. supplicii libello ad Philippum IV.
exhibitis *Cap. VII.* idem Rex disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ studio inar-
descens, Legatos misit ad Urbanum VIII. Videsis *Tit. XXII. hujus Lib.* Nihilominus
Reservationum usus extinctus non est donec an. 1753. inito Concordato
Benedictum XIV. inter, et Ferdinandum VI. Apostolica Sedes universo Benefi-
ciorum Hispaniæ Patronatu sponte cessit, et in Catholicum Regem transtulit,
quinquaginta duobus duntaxat reservatis, scilicet, in Ecclesia Cathedrali Abulen-
si *Archidiaconatus de Arevalo.* In Auriensi *Archidiaconatus de Búbal.* In Bar-
cinonensi *Prioratus quondam Regularis, nunc Secularis Ecclesiæ Collegiatus S.*
Anne. In Metropolitana Burgensi *Dignitas Scholastici, et Archidiaconatus de*
Palenzuela. In Cathedrali Calagurritana *Archidiaconatus de Naxera, et digni-*
tas Thesaurarii. In Carthaginiensi *Dignitas Scholastici, et in Diœcesi Benefi-*
cium Simplex de Albacete. In Metropolitana Cæsaraugustana *Archipresbyteratus*
de Darqca, et Archipresbyteratus de Belchite. In Civitatensi *Dignitas Scho-*
lastici. In Metropolitana Compostellana *Archidiaconatus de la Reyna, Archidia-*
conatus de S. Tesia, et Dignitas Thesaurarii. In Cathedrali Conchensi *Archidia-*
conatus de Alarcon, et Dignitas Thesaurarii. In Cordubensi *Archidiaconatus*
de Castro. In eadem Diœcesi *Beneficium Simplex de Villalcazar, et Præs-*
timonium de Castro, et Espejo. In Cathedrali Dertusensi *Dignitas Sacristæ, et*
Hospitalariatus. In Gerundensi *Archidiaconatus de Ampurdam.* In Giennensi
Archidiaconatus de Baeza. In ejus Diœcesi *Beneficium Simplex de Arjonilla.*
In Ilerdensi *Dignitas Præceptoris.* In Metropolitana Hispalensi *Archidiacona-*
tus de Xerez. In Archidiœcesi *Beneficium Simplex de la Puebla de Guzman, et*
loco Præstimonii *S. Crucis de Astigi, alter ex tribus Beneficiis S. Mariæ de Al-*
calá la Real. In Cathedrali Majoricensi *Dignitas Præceptoris, et Dignitas Præ-*
positi S. Antonii de S. Antonio Viennensi. Nullius in Provincia Toletana *alter*
ex tribus Beneficiis S. Mariæ de Alcalá la Real. In Diœcesi Oriolana *Beneficium*
Simplex S. Mariæ de Elche. In Cathedrali Oscensi *Dignitas Cantoris.* In Ove-
tensi quoque *Dignitas Cantoris.* In Oxomensis *Dignitas Scholastici, et Abbatia*
S. Bartholomæi. In Pampilonensi *Hospitalariatus olim Regularis, nunc Com-*
mendatus, et Dignitas Præceptoris Generalis de Olite. In Palentina *Archidia-*
conatus de Medellin, et Archidiaconatus de Truxillo. In Salmantina *Archidia-*
conatus de Montleon. In Seguntina *Dignitas Thesaurarii, et Abbatia S. Colo-*
ma. In Metropolitana Tarraconensi *Prioratus.* In Cathedrali Turiasonensi *Dig-*
nitas Thesaurarii. In Primatiali Toletana *Dignitas Thesaurarii.* In Archidiœ-
cesi *Beneficium Simplex de Ballecas.* In Diœcesi Tudensi *Beneficium Simplex*
S. Martini del Rosal. In Metropolitana Valentina *Dignitas Sacristæ Majoris.*
In Cathedrali Urgellensi *Archidiaconatus de Andorra.* In Zamorensi *Archidia-*
conatus de Toro. (*)

XXIV. De jure Præventionis juvat hic pauca subnectere. Jus igitur Præven-
tionis illud est, quo Papa Ordinarium collatorem præveniens beneficium ad ejus
collationem spectans alicui elargitur. Hujusmodi jus licet eodem fundamento in-
nitatur, ac Mandata de providendo, multo tamen his recentius est: vix enim in VI.
Decretalium ejus vestigia occurrunt. Quum vero paulo post nimium invaluisset,
atque adeo frequentissimæ ad præveniendum Ordinarios in Curia committerentur
fraudes: hinc primum à Joanne XXII. Regula Cancellariæ *De verisimili notitia*
evulgata est, qua decernitur irritas habendas quascunque Pontificis jure præven-
tionis collationes, nisi à die mortis beneficiarii tantum spatium effluerit, ut pro-

babile sit de ea certiorum Pontificem fieri potuisse: eo die, quo libellus Romam ve-
nit. Eadem pena locum quoque habet, ubi compertum sit, ante mortem nuntium
Romam adpulisse, quod *cursum* vocant *ambitiosum.* Porro non est cur ampli-
us hæc in re immoremur. Namque divisione mensium inter Sedem Apostoli-
cam, et Ordinarios, jus illud Præventionis pæne abolitum est. Per illam enim
Pontifex tacite quodammodo edixisse videtur, ut Ordinariis in suis mensibus libe-
ra esset beneficiorum collatio.

CAPUT VIGESSIMUM QUINTUM.

DE INSTITUTIONIBUS, ET JURE PATRONATUS.

I. Legitimus aliquando Collator beneficium conferre adstringitur juxta alte-
rius electionem, ubi sanè provisio non collatio, sed institutio dici consuevit. Jus
nominandi, vel præsentandi, aut ex jure communi descendit, ut *Patronatus,* aut
ex privilegio, ut nominationes Regum, aliorumque Principum, (**) et Procerum.
Excipe Hispaniarum Reges, qui non ex privilegio tantum, sed aliis etiam incon-
cussis titulis jus obtinent præsentandi: *Leg. I. Tit. VI. Lib. I. Novæ Recop.* (*)
De his satis alibi de Patronatu scribitur, ipsi adnexis hic pauca. (1)

II. Juris patronatus natura in eo est, scilicet ut Patronus facultatem habeat
idoneum Clericum nominandi, ab Episcopo, aliove Ordinario in Ecclesia, vel Be-
neficio instituendum, ac simul juribus quibusdam perfruatur, partim honorificis,
partim utilibus, partim onerosis. Originem quod spectat, profecto licet *Patroni,*
et *Patronatus* vocabula antiqua non sint, rei tamen ipsius haud obscura vestigia
habentur jam inde ab antiquissimis temporibus. Et quidem sæculo IV. vergen-
te, vel saltem V. ineunte nomina, et elogias Fundatorum in Ecclesiis ab ipsis ædi-
ficatis fuisse inscripta testis est S. Paulinus Nolanus *Epist. 10. et 12.* Uti quo-
que Basilicæ aliquando à suis Fundatoribus nomen, sive titulum mutuatae sunt:
eujusmodi sanè est *Basilica Constantiniana, Titulus Damasi, Lucine, Fas-*
ciolæ &c.

III. At primum an. 441. *Can. X. Arausicano* occurrit jus Episcopo in alieno
territorio Ecclesiam edificanti concessum, ut Clericos in eadem Ecclesia consti-
tuat, (**) et ordinet, quos si re ipsa ordinati jam sint, ab Episcopo territorii non
repellantur. (*) Idem juris dein et laicis tributum est, namque tum *ex Leg.*
XLVI. Cod. de Episcopis, et Clericis, tum ex Justiniani Novell. *LVII. cap. 2.*
CXXIII. cap. 18. aliisque constat Ecclesiarum, Monasteriorum, et Xenodochio-
rum fundatores facultatem habuisse, ut eorundem Administratores, Præfectos, et
Presbyteros designarent: id ipsum Iulianus Imperator sancitum occurrit in Concilio To-
letano IX. *Can. II. (**)* Tenere non possumus, quin ejusdem Canonis promamus
litteram: *Decernimus, ait, ut quædam eorum fundatores Ecclesiarum in hac*
vita superstites existierint, pro eisdem locis curam permittantur habere solici-
tam, et sollicitudinem ferre præcipuam, atque Rectores idoneos in eisdem Basili-
cis eisdem ipsi offerant Episcopis ordinandos. Quod si tales forsitan non in-
veniuntur ab eis, tunc quos Episcopus libet probaverit Deo placidos, sacris cultibus
instituat cum eorum continentis servituros. Quod si spreto eisdem fundatori-
bus, Rectores ibidem presumerit Episcopus ordinare, et ordinationem suam ir-
ritam (hæc est nominationem) noverit esse, et ad verecundiam sui, alios in eorum
(1) Vide notam VIII in hunc tractatum.

loco, quas iidem ipsi fundatores condignos elegerint ordinari. Porro duæ in hoc Canone fundatoribus tributæ sunt prærogativæ. 1. Quæ se veluti Syndicos, et tutores tum Ecclesiarum, tam ministrorum exhibeant. 2. Patronatus, jus videlicet, idque exclusivum Episcopo præsentandi Clericos eidem ordinandos Ecclesiæ. Hæc perspicua sunt; neque ampliores Patronus jus hodiernum prærogativas attribuit, quam tribuisse olim videmus præf. Syn. Tolet. ut ipsa Canonis verba indicant, quæ tamen nonnihil difficultatis induunt Espenio. (*)

IV. Jam verò secutis temporibus multiplex invecata est Jurispatronatus species: scilicet ut aliud sit Ecclesiasticum, aliud Laicale, et aliud Mixtum. Ecclesiasticum est, quod Ecclesiæ, vel Clerico non ratione patrimonii convenit, sed ratione dignitatis, et officii: *Cap. unic. de Jurepatr. in VI.* Neque enim quod à Clerico constitutum sit, vel Clerico conveniat, indè Ecclesiasticum dicendum est, sed omninò requiritur, ut expressè à Fundatore, sive Clerico, sive Laico Ecclesiæ alicui, vel dignitati, aut gradui Ecclesiastico adfigatur, (***) vel cui Ecclesiastici privilegio decoratur, uti Equitum Ordinum Militarium: *Garcia de Benef. P. IX. Cap. II. n. 263. (*)*

V. Juspatronatus Laicale est, quod alicui sive Clerico, sive Laico convenit ratione patrimonii, non Ecclesiæ, aut dignitatis; atque adeo licet ex proventus Ecclesiasticis à Clerico quopiam constitutum sit, adhuc tamen laicale est; quippe quod Clerici hodie Ecclesiasticos proventus instar patrimonii suos faciunt, et in foro externo, ut patrimonialia passim reputantur. Ita *Gonzalez ad Cap. 5. de Jurepatr. et Le Roy. Prol. Tit. de Jurepatr. cap. 6;* qui et *ibid.* tradit in dubio potius laicale censendum, quam Ecclesiasticum.

VI. Juspatronatus Mixtum est, quod partim rationem patrimonii, partim rationem exhibet Ecclesiæ: E. g. quum ex duobus patronis alter jus suum ad Ecclesiam transtulerit; aut quum duo diversi patroni, scilicet Ecclesiasticus, et Laicus ad beneficium conferendum ex æquo concurrant, litteræque præsentationis utriusque nomine expediantur. Quamobrem si hi patroni non simul, sed divisim, vel alternis præsentent, juspatronatus mixtum non erit; quod utriusque patroni jura non miscentur, sed uterque suo jure utitur. Porro in jurepatronatus mixto semper illi proprietati standum, sive Ecclesiasticæ, sive Laicali, quæ patronis magis favet, ut alteruter privilegio socii fruatur, quum alias privilegium esset inutile: *Le Roy ibid. Cap. 6. (*)*

VII. Juspatronatus sive Ecclesiasticum, sive Laicale bifariam dispescitur, scilicet in Personale, et Reale. Personale alicui personæ convenit independentè à quacunque re, cui inhæreat. Reale quod fundo, villæ, vel feudo est adnexum: *Cap. 7. eodem, Cap. 18. de Sentent. et re judic.* Hujusmodi juspatronatus originem habere videtur ab Oratoriis, et Sacellis, quæ jampridem viri nobiles in suis fundis in usum domesticorum, et subditorum suorum exstruentes, iisdem cum Episcopi consensu unum, pluresve constituebant Presbyteros: *Concil. Agath. Can. XXII.* Porro jus istud, quod ex Episcoporum duntaxat conniventia primum Patronis tributum est, scilicet ne quos ægre ferrent, alere tenerentur; deinde successu temporis in veram abiit præsentationem, sive patronatum, iisque vindicandum creditum est, ad quos fundus, villa, vel feudum spectaret.

VIII. Inter Patronos Ecclesiasticum, et Laicalem plura intercedunt discrimina: quorum tamen præcipua jure novo sunt inducta. Ac 1. Laico quatuor mensium, Ecclesiastico sex mensium spatium ad præsentandum conceditur, quod quidem temporis intervallum non computandum, nisi à die notitiæ; scilicet ab eo tempore, quo Patrono beneficii vacatio probabiliter potuerit innotescere. Antiquitus

nullum Patronis ad præsentandum constitutum erat tempus; quum autem in Concil. Lateran. III. sub Alexandro III. *Can. XVII.* trium mensium spatium præfinitum fuerit, et in nonnullis Concilii editionibus pro *tres menses* legeretur, *quatuor*, quumque idem Alexander III. *Cap. 22. de Jurepatronatus* spatium sex mensium Collatoribus beneficiorum præscriptum, etiam ad Patronos extenderit, hinc ut hujusmodi conciliarent *contradictionem* Canonem Lateranensem de Patrono laico, Decretalem Alexandri III. de Patrono Ecclesiastico communiter interpretati sunt Canonistæ.

2. Patronus Laicus plures non modo simul, verum et successive Episcopo præsentare potest, *Clement. II. eod. tit. (**)* cui consonat *Lex VI. Tit. XV. Partit. I. (*)* Ecclesiasticus unum post alterum præsentare nequit: *Cap. 29. eod. tit. (**)* et *Leg. VII. ejusd. (*)* Illi enim intra tempus præfixum sententiam mutare permittitur, huic verò non item. Porro Patrono Laico nonnisi ante institutionem scilicet antequam præsentatus jus aliquod ad beneficium sibi comparaverit, variare conceditur. Atque hinc perspicere datur, undenam discrimen istud inter Patronum Laicum, et Ecclesiasticum proficiscatur. Laici enim præsentatio nullum jus conferre videtur ad beneficium, secus verò Ecclesiastici, cujus præsentatio habetur perinde ac si collatio, vel electio esset, quæ jus aliquod ad beneficium tribuat, posteriori præsentatione haud auferendum. Innocentius IV. ad *Cap. 24. de Jurepatr. Clericalis variatio est interdicta, quia illorum Clericorum præsentatio vicem habet electionis.*

3. Si Ecclesiasticus præsentaverit indignum, privatur ea vice duntaxat jure præsentandi: *Cap. 11. de Excessibus Prælatorum:* secus verò si fuerit Laicus; huic enim indigni præsentatio nihil adfert detrimenti, quum possit alterum præsentare: communiter DD. ad *Cap. 4. de Jurepatron. (**)* et Alphonsus Sapiens *Leg. V. ejusdem. (*)*

4. Parochia Jurispatronatus Ecclesiastici per concursum ad normam Tridentini omninò conferenda; at si patronatus fuerit laicalis, satis erit, ut præsentatus ab Episcopo, examine præeunte, idoneus probetur. (***) ut inspicatur utrum laicus indignum præsentaverit. Quocirca Synod. Tolet. anni 1582. *Act. II. Decr. 9.* decernit; quod nullus ad Patroni præsentationem in Beneficio instituatur, nisi prius per Ordinarii examen ad Horas Canonicas persolvendas, et pro qualitate Beneficii ad alia Ecclesiastica ministeria præstanda, idoneus esse comprobetur. (*)

5. Legatus à latere beneficium patronatus Ecclesiastici etiam in præjudicium patroni conferre non vetatur: *Cap. 28. hoc tit.* haud verò beneficium patronatus laicalis: unde quoque colligitur reservationes Apostolicas adficere quidem beneficia patronatus Ecclesiastici, haud verò beneficia patronatus laicalis. In patronatu mixto ea proprietas, uti nuper observavimus, adtendenda, quæ eidem tuendo magis conducit.

IX. Quum Patronus sive Ecclesiasticus, sive Laicus intra tempus à jure statutum non præsentaverit, collatio ad Episcopum spectabit; (***) *Cap. 22. de Jurepatr.* cui consonat *Lex XI. Tit. XV. Partit. I. (*)* et quidem jure non devoluto, sed ordinario, scilicet primigenio, quo Episcopus solus ordinarius est beneficiorum collator. Quæ de re si Episcopus intra tempus præsentationi sancitum beneficium conferat, eo elapso sustinetur collatio, dum patronus expresse, vel tacite ei adsentiat, aut non refragetur. Id quod de collatione Metropolitanæ in beneficiis suffraganeorum ne intelligas, si locus devolutionis postmodum fiat; quia Metropolitanæ beneficia suffraganeorum, nonnisi jure devoluto, conferre permittitur.

X. Patronus dicitur Clericum præsentare, quum illum Episcopo, vel cuicu

Ordinario Collatori instituendum exhibeat, sive offerat. Porro necessum non est, ut Patronus ipse Ordinarium adeat, sed satis erunt litteræ presentationis, quas Ordinario deferendas Clerico Patronus tradat: *Cap. 6. de His, quæ fiunt a Prælato.* Quinimmo jure novissimo universali consuetudine inducto, nulla agnoscitur presentatio, nisi quæ fit per litteras in forma authentica expeditas. (**). Id quod præcipue de Beneficiis intelligas, quæ à Rom. Pontifice conferuntur: *Extravag. Injunctæ de Electione inter Commun.* Porro presentatus nullum in Ecclesia jus ante acceptam ab Ordinario Collatore Institutionem, adsequitur: *Compil. Jo. Teres. Lib. III. Tit. XXII. cap. 2.* Post Institutionem verò traditam, Litteræ possessionis conferuntur presentato, quæ ad vitandas fraudes ab Ordinario, vel ejus Vicario subscribuntur: *Syn. Hispal. an. 1512. Cap. XLII. (*)*

XI. Jam verò, ut Presentatio suum sortiatur effectum, non solum litteræ expeditæ sint oportet, verum omnino, ut Ordinario sint legitime oblatæ, sive, ut loqui amant Pragmatici, *pulsaverint aures Ordinarii*; id quod si nondum peractum fuerit, poterit 1. Patronus, sive Ecclesiasticus, sive laicus à prima presentatione resiliere; communiter Canonistæ *ad Cap. 25. hoc tit. 2.* Papæ licebit Patronum Ecclesiasticum prævenire. 3. Episcopus, elapso spatio legitimo, et litteris non exhibitis, suo jure utetur, et Beneficium libere conferet.

XII. Quid si plures sint patroni? Aut iis patronatus, prout corpus, sive collegium constituunt, convenit; aut ad eos seorsum, et sigillatim spectat: si primum presentatio, nisi ab omnibus conjunctim peragatur, licet à singulis, at divisim, et extra collegium probata, nullius est roboris. Si alterum satis erit, ut singuli in idem conspiraverint, licet divisim, diverso tempore, et per plura instrumenta, vel per idem instrumentum, sed diverso tempore à singulis signatum: *Espenius P. II. Tit. XXV. Cap. V. n. 32. 33. 39. (**).* Illud hic quoque animadvertere non abs re erit, quod si forte Patronorum vota in plures se diviserint, *ille præficiatur Ecclesie, qui majoribus juvatur meritis, et plurimorum eligitur, et adprobatur ad sensu.* Si autem hoc sine scandalo esse nequiverit, ordinet Antistes Ecclesiam, sicut melius eam secundum Deum viderit, ordinandam. Et id ipsum, etiam faciat, si de jurepatronatus questio emerit inter aliquos, et cui competat, infra quatuor menses non fuerit definitum. *Cap. 3. de Jurepat. cui consonat Alphonsus Noster Leg. XI. Tit. XV. Partit. I. (*)*

XIII. Juspatronatus præcipue Foundatione, Constructione, et Dotatione acquiritur, (**). quas quidem Juspatronatus causas recenset *Lex I. ejusd. (*) Foundatione*; veluti si quis prædium ad Ecclesiam construendam præbeat: *Can. XXXII. Caus. 16. Q. VII. Constructione* scilicet, quum quis suis sumptibus Ecclesiam ædificat: *Cap. 25. hoc tit. et Can. XXXIII. Caus. 16. Q. VII. Dotatione* demum, scilicet, quum quis sive presenti pecunia, sive alio quovis pacto annuos redditus, veluti certam dotem, constituat, queis, et Ecclesie conservationi, et ministrorum alimentis provideatur.

XIV. Sola fundi donatione Juspatronatus non acquiri recentiores Canonistæ cum *Franc. le Roy ibid. cap. 13.* communiter tradunt; quam sane sententiam pluribus ex antiquis canonibus deductis argumentis demonstrant. Fundatio igitur de qua Canones loquuntur de foundatione, sive exstructione, quæ juxta Ecclesiasticas regulas peragatur oportet, intelligendi sunt: quum scilicet jam Ecclesie dos constituta sit, quæ uti suo loco diximus, nisi prius dicatur, Ecclesia ædificari prohibetur.

XV. Hæc sane *Francisci le Roy*, aliorumque sententia conformis quoque videtur Synodo Tridentinæ, quæ *Sess. XIV. Ref. cap. 12.* expresse cavet, nemini

Juspatronatus concedendum, nisi qui Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, et construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, et patrimonialibus bonis competenter dotaverit. . . . In casu autem foundationis, aut dotationis hujusmodi institutio Episcopo, et non alteri inferiori reservetur.

XVI. Igitur Glossæ sententia hoc vulgari versiculo expressa *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*, eo quidem sensu est intelligenda, quum ad eandem Ecclesiam excitandam tres simul concurrant; quorum unus fundum adsignet, alter expensas ad ædificium solvat, tertius dotem conficiat. Hos profecto omnes universos effici Patronos cum aliis Canonistis tradit *Fagnanus ad cap. Quoniam hoc titulo n. 34.*

XVII. Quamvis ut Ecclesia ædificetur, requiratur omnino Episcopi Diocesani consensus, *supr. Tit. XI.* attamen ut acquiratur juspatronatus ejusmodi consensu opus non est. Fundatori enim debetur, etiamsi illud non petat, vel in pactum deducat; Glossa ad *Can. VII. de Consecr. Dist. I.* et *Clemens III. in Decretali* (cujus pars refertur in *Cap. 25. de Jurepatronatus*, quæque integra exstat apud Antonium Augustinum) quæsitus num quis efficiatur sola Ecclesie constructione Patronus, respondet: *Quod si aliquis Ecclesiam cum ad sensu Diocesani construxit, ex eo juspatronatus acquirit.* Igitur Fundatio per se Juspatronatus constituit. Porro negandum non est, posse Fundatorem jus illud vel expresse, vel tacite remittere: *expresse* per tabulas, sive per scripturam; *tacite*, quum nec ipse, nec ejus hæredes unquam jure illo utantur: *Franc. le Roy in Proleg. ad Comment. de Jurepatronatus cap. 15.* Verum si de Patronatu dubitetur, Foundationis tamen titulus constet, Fundatori Juspatronatus rectè adjudicabitur; quum Fundatio ipso jure Patronatum comitem habeat: *Le Roy ibidem.*

XVIII. Præterea Juspatronatus acquiritur Præscriptione. Olim nonnisi foundatione illud quis consequi poterat; verum quum postea hujusmodi jus potius temporale haberetur, quam spirituale, quippe quod à laicis etiam acquiri posset; hinc sensim inductum quoque est, posse illud præscriptione, æque ac alia jura, comparari: idque non modo ab Ecclesia contra Patronum, sed et contra Ecclesiam à laico: *Cap. 24. de Electione.*

XIX. Porro non semper æquo jure hac in re Præscriptio inspicienda. Hæc enim si contra Ecclesiam liberam sit, oportet, ut ex tam diuturna quasi possessione oriatur, ut quoad longissime præteriti temporis spatium respici possit, contraria monumenta inde usque non existant: *Cap. 1. de Præscript. in VI.* vel ut loquitur Trident. *Sess. XXV. Reform. cap. 9. ex multiplicatis presentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat.*

XX. In iis vero personis, seu Universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior, et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur; nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria, presentationes etiam continuate, non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur: *Syn. Trident. ibid.* *Fagnanus ad Cap. Consultationibus hoc tit. n. 9.* qui et *ibid. n. 7.* tradit productam Tridentini dispositionem æque in petitorio, ac possessorio locum habere; nisi de ipso Jurepatronatus non ambigatur, sed tantummodo inter Patronos de jure presentandi controversia exoritur; ubi sane ille in possessorio vincet, qui ostendetur esse in quasi possessione presentandi. (**). *Syn. Valent. an. 1565. Sess. V. Tit. IV. cap. 14.* ad vitandas diuturnas, et inextricabiles de Jurepatronatus contentiones

præcipit omnibus cujuscunque dignitatis, vel conditionis fuerint, qui persuasum habent, Beneficii Curati, vel Simplicis Juspatronatus sibi competere, ut intra sex mensium spatium Jurispatronatus titulum Ordinario, vel ejus Vicario Generali ad normam Tridentini Concilii examinandum ostendant. Re enim in tempore perpensa, omnis dubitationis, et litium occasio auferatur. Si negligentis fuerint, sciant, se inde, quod ad ipsum Juspatronatus attinet, damnatum esse reportaturos. (*)

XXI. Adquiritur denique Juspatronatus ex privilegio, nempe Summi Pontificis: Cap. 2. de Præbendis in VI. Patronatus tamen hujusmodi Synodus Tridentina *ibid.* iis exceptis, qui ad Summas Potestates spectant, abrogavit.

XXII. Juspatronatus uti adquiri, ita etiam transferri jure potest, et quidem non uno, eodemque modo. Ac 1. Juspatronatus Ecclesiasticum transfertur simul cum Ecclesia, Dignitate, vel Beneficio, cui est adnexum. Verùm alteri illud comparari, species est alienationis rei, et juris Ecclesiastici, ad quam legitime requiruntur sollemnitates: *supr. Tit. XVI.*

2. Juspatronatus laicale, si reale sit, ad illum transfertur, ad quem fundus, villa, feudum &c. cui est adnexum, sive quod ad proprietatem, sive quod ad dominium utile duntaxat, transit: *Cap. 7. et Cap. 13. hoc titulo*, et Fagnanus ad *idem Cap. 7. n. 12.*

3. Juspatronatus laicale personale transfertur successione, scilicet simul cum hæreditate sive testamentaria, sive legitima ad hæredem in solidum: succeditur tamen in eo non in capita, sed in stirpes. Quare pluribus patrónis decedentibus, quorum alter duos hæredes reliquerit, alter unum, illorum suffragium, æque ac hujus pro uno computatur, quia ambo illi unum tantummodo hæredem representant: *Clement. II. hoc titulo.*

4. Juspatronatus transfertur permutatione, scilicet alterius rei spiritualis: *Cap. 6. de Rerum permut. et Can. XL. Causs. 16. Q. VII.*

5. Donatione, et quidem cum Episcopi consensu, si agatur de translatione in laicum, vel Clericum privatum; eo tamen opus non erit, si in Ecclesiam, vel Monasterium Juspatronatus transferendum sit: *Cap. unic. hoc tit. in VI.*

6. Demum Venditione; at non Jurispatronatus per se; quum enim quid spirituali adnexum sit, vendi per se, aliave re temporali permutari nequit, bene verò accessorie; scilicet quum venditur fundus, villa &c. cui adhæret. Quæ de re Juspatronatus rectè dicitur transferri venditione; at venditione, quæ non ipsum jus adficiat, sed solum duntaxat fundum. Quinimmo Jurispatronatus venditio, quæ per se fiat, non modo irrita, sed et Simoniaca communi sententia à Canonistis habetur; uti quoque Simonie labe carere dicendus non est, qui fundum intuitu Jurispatronatus pluris vendat; quum auctum hoc pretium non nisi ipsum Juspatronatus adficere possit. Alexander III. in Appendice Concil. Lateran. *P. XVI. tit. de Jurepatronatus cap. 6.* et Innocentius IV. apud Matth. Paris. in additamentis pag. 104. Espenius *P. II. Tit. XXV. cap. IV. a n. 26. ad n. 33. (**)* et Alphonsus Sapiens *Leg. VIII. Tit. XV. Partit. I.* in qua etiam has omnes Jurispatronatus transferendi caussas à Canonistis enumeratas, agnoscit. (*)

XXIII. Postremo jura Patronorum in ipsum Beneficium, ac Beneficiarium restant hic explicanda. Ac 1. Patroni jus est Ecclesiam patronatam, ejusdemque fundos, bona, et quidquid ad illam pertinet, defendere, ac tueri: *Conc. Tolet. IX. Can. I. et II.* Ex quo jure factum esse, ut fundatoribus, eorumque successoribus nomen Patroni adsignaretur, conjicit Espenius *ibid. Cap. I. n. 14. (**)* et expresse docet idem Alphonsus *Leg. III. ejusd. (*)*

2. Patroni jus est, census, si quem sibi in fundatione reservavit, exigere. Nihil enim prohibet, quin Fundator in ipsa fundatione pensionem aliquam, vel sibi, successoribus suis, vel etiam alteri, quotannis solvendam constituat: *Cap. 15. de Censibus*, Glossa ad *Cap. 23. de Jurepatr. (**)* Id etiam tradit *Lex II. ibid. (*)* Quinimmo potest Fundator ejusmodi conditionem in fundatione adponere, scilicet, ut fructus Ecclesie vacantis cedant Patrono: Glossa ad *Cap. 13. de Elect. in VI.* Veruntamen nequit Beneficiarius sua privata auctoritate Patrono, vel novam de beneficii proventibus pensionem addicere, vel jam constitutam augere: imò si Patrono, quo præsentationem facilius obtineat, ampliora præstare jura spondeat, vix, aut ne vix quidem à Simoniaca labe immunis erit. (**). Quia tamen hoc pensionis sibi servandæ jure nonnulli quondam Patronorum abuterentur, ita ut immodicis sumptibus, et conviviis Ecclesias prægravarent, *Syn. Vallis-olet. Cap. XV.* constituit, unum tantum prandium Patrono, ejusque simul cognatis exhibendum ab Ecclesie Rectore, sub pœna amissionis Patronatus, donec Rectori ipsi, aut Successori ejusdem satisfecerint competenter. Id quod dein sua Lege firmavit Joannes I. an. 1390. *Leg. IX. Tit. VI. Lib. I. Novæ Recop.* pœna etiam pecuniaria transgressoribus imposita. Ut autem omnis Simoniacæ maculæ suspicio in Beneficiorum Collatoribus procul repelleret Philippus III. declarat, quorumcunque Beneficiorum à se factam præsentationem nullam, et irritam esse, quæ donis interpositis adeptæ fuerit; *Leg. XVIII. Tit. XXVI. Lib. VIII. Novæ Recop.* et eadem *Syn. Vallis-olet. Cap. XX.* decernit, quod Prælati, ad quem institutio pertinet, a presentato Clerico, antequam in Beneficio ipsum instituat, corporale recipiat juramentum, quod pecuniam, vel aliud munus quodcumque Patrono, nec alii pro eodem, pro præsentatione hujusmodi, nec promisit, nec dedit per se, vel per alium quoquo modo. Idem præscripsit laud. Synodus Valent. *Sess. V. Tit. IV. cap. 15. (*)*

3. Patroni jus est inspicere, num Beneficiarius leges in fundatione sanctitas fideliter observet, et proventus Ecclesiasticos legitime administret. Ad rem *Conc. Tolet. IV. Canone XXXIII.* Si amplius quidpiam ab eis (Episcopis) præsumtum exstiterit, per Concilium restauretur: adpellantibus aut ipsis conditoribus, aut certe propinquis eorum, si jam illi a sæculo discesserint: Expressius *Syn. Tolet. IX. Can. 1.* Condignis filiis, vel nepotibus, honestioribusque propinquis ejus, qui construxit, vel ditavit Ecclesiam, licitum sit hanc bonæ intentionis habere sollertiam, ut si Sacerdotem, seu Ministrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honestæ conventionem compescant, aut Episcopo, vel Judici corrigenda denuntient. Quod si talia Episcopus agere tentet, Metropolitanò ejus hæc insinuare procurent. Si tamen Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus al. auribus intimare non differant. Uterque hic Canon refertur à Gratiano *Can. LX. Causs. 16. Q. I.* et *Canone XXXI. ibid. Q. VII. (**)* eademque doctrina traditur ab Alphonso nostro laud. *Leg. III. (*)* Igitur ubi *Syn. Trident. Sess. XXIV. Ref. cap. 3.* decernit: Patroni vero in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere: neque visitationi ornamentorum Ecclesie, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant: eo sensu profecto ejusmodi sanctio intelligenda est, scilicet, ne Patroni prætextu inspectionis, et defensionis, quæ sola ipsis convenit, ipsam proventuum Ecclesiasticorum administrationem, quæ ad beneficiarium spectat, vel Ecclesie visitationem, quæ Episcopi est, sibi audeant vindicare. Quod etiam innuit *Syn. Tolet. IX.* quæ *ibid.* statim subnectit: *Ipsis tamen hæredibus, in eisdem rebus non liceat quasi juris proprii*

potestatem præferre, sed hoc solum in salutarem sollicitudinem adhibere.

4. Patrono tandem jus est, ut si ipse paupertatis infortuniis jactetur, ex fructibus Ecclesiæ, si qui supersint, alendus sit: *Cap. 25. hoc Tit. Conc. Tolet. IV. ibid. Can. XXX. Caus. 16. Q. VII. (**)* En ejusdem Concilii *Can. XXXVIII. alias XXXVII. ad emendatiorem fidem exactum: Quicumque ergo fidelium de facultatibus suis, Ecclesiæ aliquid devotione propria contulerunt, si forte ipsi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vite pro temporis usu percipiant.* Id etiam docet Alphonsus laud. *Lege II. ejusd. (*)* Porro hujusmodi subsidium debetur patrono 1. non tam intuitu paupertatis, quam beneficentiæ; quare non alimenta modo, verum etiam quæ ad vitam decenter sustentandam sunt necessaria, illi erunt præstanda; quantum tamen tum ejusdem conditio postulat, tum Ecclesiæ fert facultas. (**). *Si enim* (ait idem Canon) *Clericis, vel Monachis, seu peregrinis, aut quamlibet necessitatem sustententibus, pro solo Religionis intuitu, in usum res Ecclesiasticæ largiuntur, quanto magis his consulendum est, quibus retributione justa debetur? (*)* 2. Non titulo præsentationis, sed foundationis; unde si Patronus jus præsentandi vel dimiserit, vel alteri cesserit, adhuc ipsi ad inopiam redacto subveniendum est.

XXIV. Porro Patronis jura quoque honorifica præstanda sunt, quæ in externis observantiæ indiciis consistunt: hinc Patrono deferendus 1. honor Processionis: *Cap. 25. hoc Tit. (**)* et *Leg. I. ejusd. (*)* scilicet tum in publicis supplicationibus, aliisque hujusmodi processibus, tum in suscipienda pace, quæ in Missa publice in Ecclesia defertur, tum demum et in thuris suffitu, sive thurificatione, prior, et honoratior Patrono dandus est locus. Neque enim Ecclesia antiquissimam unquam improbavit praxim; ut nimirum ea, etiam, quæ ad pietatem, cultumque religionis Deo impendendum primario instituta sunt, honorificentiori quadam ratione uti Episcopis, et Sacerdotibus, ita et Patronis præstentur. Et sane jam inde ab antiquis temporibus, uti constat ex veteri Ordine Romano, Episcopis, et Sacerdotibus sigillatim, et seorsum à reliquo clero thuris suffitus deferri consuevit.

2. Debetur honor aquæ benedictæ; scilicet ut Patronus diversa ratione, ac alii adspargatur. Porro hac in re caveant Patroni, ne sibi tradi adspergillum contendat, quo seipsum adspargant; id quod Episcopo duntaxat reservatum est; sed satis habeant, si ab ipso Beneficiario ritu peculiari adspargantur: neque enim ab alio, quam à Sacerdote ad benedicendum ab Ecclesia specialiter constituto, aqua lustralis adspersionem, quæ species benedictionis est, licet accipere.

3. Debetur honor precum; scilicet ut publice in Ecclesia fidelium precibus commendentur, et quidem nominatim. Hoc jus dubio procul spectat *Can. XIX. Syn. Emeritensis;* quæ in hanc rem sic habet: *Eorum nomina, a quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante Altare recitentur tempore Missæ: quod si ab hac decesserint luce, nomina eorum cum ordine recitentur.*

4. Debetur honor sedis; scilicet ut perpetua, et specialis in Ecclesia Patrono constituatur sedes, et quidem in nave Ecclesiæ, vel etiam in ipso Choro, vel Presbyterio. Antiquitus quidem sacra septa ingredi laici omnino vetabantur; at secutis temporibus id juris Patronis sensim impertiri cœpisse constat ex *Syn. Wigoniensi Can. III. Ne laici stent intra Cancellos, dum celebrantur divina, salva tamen reverentia Patronorum: (**)* cui adhæret Alphonsus noster in mox laud. *Leg. I. (*)*

5. Debetur honor sepulturæ; scilicet in honorificentiori Ecclesiæ loco Patronorum cadavera humana sunt. Unde sepulturam habere in Choro maximè honorificum reputatur. Porro num soli Patrono id juris tribuendum sit, an etiam ejus cognatis, adfinibus &c. ex litteris foundationis deducendum.

6. Demum Patrono jus est stemma gentilitium in Ecclesia patronata adponere; id quod de Patrono non solum laico intelligendum, sed etiam Ecclesiastico; licet hic, non proprio nomine, sed Ecclesiæ duntaxat, vel dignitatis, patronatum possideat: quod et de reliquis honorificis juribus haecenus expositis etiam intelligas.

XXV. Ceterum circa honorifica jura Patronis præstanda attendendæ quoque sunt peculiare locorum consuetudines. Ad rem Franciscus le Roy Lib. II. Cap.

5. *In officiis, et honoribus exhibendis non modo videndum est, quod lege sancitum, sed quid consuetudine valeat. Modo tamen non ejusmodi consuetudine jura inducantur, quæ vel Ecclesiæ decori opponantur, vel rectam divinarum officiorum administrationem turbent; quæ licet longævo usu inducta, adhuc tamen poterint legitima auctoritate aboleri. (**)* De Regio Hispaniarum Patronatu legens *Tit. de Electione, et Reservationibus. (*)*

CAPUT VIGESSIMUM SEXTUM.

DE PECULIO CLERICORUM.

I. Peculium sic dictum, quasi *pusilla pecunia*, sive *Patrimonium pusillum*, quod servus Domini permissu separatim à rationibus dominicis habet: *Leg. V. §. 3. Dig. de Peculio, et Leg. XXXVII. Dig. de Acquir. rer. domin.* De vario peculii genere opportunius in *Institutionibus Civilibus*: illud autem hic tantummodo observandum, bona, quæ Clerici in Ecclesiæ ministerio sibi comparaverint, non immerito Peculii nomine donari. Sicut enim Peculii apud Romanos servus non verum dominium, aut proprietatem habebat, sed tantummodo usum, et administrationem, et quidem Domini ipsius permissu, ad quem, servo moriente, peculium cum suis inde acquisitis accessionibus ipso jure redibat; ita Clerici bonorum Ecclesiasticorum non nisi administrationem habent; ipsisque decedentibus, ad Ecclesiam, cui à fidelibus primitus oblata sunt, ex sui natura redeunt.

II. In Libris Decretalium titulus prostat, cujus: *de Peculio Clericorum.* Verum in Decretalibus, quas titulus ille complectitur, *Peculii* nomen non occurrit, sed duntaxat in ipsis cavetur, ut bona, quæ Clerici ex Ecclesiæ ministerio post Ordinationem sibi adquisiverint, ad Ecclesiam, tanquam res ad ipsam pertinentes, revertantur: *Quamobrem admodum verisimile est rebus Ecclesiæ, quæ Clericis ad usum conceduntur, nomen Peculii inditum fuisse, postquam facta beneficiorum erectione, ipsa bona Ecclesiæ, quasi in quasdam portiones singulis titulis annexas, dividi, et a communi massa bonorum Ecclesiæ separari ceperunt.* *Esperius Part. II. Tit. XXXII. Cap. I. n. 2.*

III. Igitur bonorum Ecclesiasticorum Clerici non nisi administrationem habent, et usum, eorundem proprietate Ecclesiæ reservata: idque pluribus evincitur. Ac I. Julianus Pomerius *de Vit. Contempl. Lib. II. cap. 9.* de bonis Ecclesie diserte in hunc modum statuit: *Scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum.* Si hæc bonorum Ecclesiæ natura est, quisnam eorundem dominum unquam sibi vindicavit?

2. Porro jam antea Augustinus *Ep. I.* bonorum Ecclesiæ non nisi procuratio-